



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Quomodo differant castus, & seruilis vel initialis. H

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



Deum, ne mittantur in gehennam: ne forte ardeant cum diabolo in igne eterno. Ipse est timor, qui introducit charitatem sed sic venit ut exeat. Si n. propter pœnas times Deum, nondum amas quem sic times: non bona desideras, sed mala caues. Sed ex eo, quia mala caues corrigis te & incipis bona desiderare: cunq; bona desiderare cœperis, erit in te timor castus? Quid est timor castus? Timere ne amplius amittas ipsa bona, timere Deum ne recedat à te. Cum autem times Deum, ne te deserat præsencia eius, amplecteris eū, ipso frui desideras. *Quomodo distant duo timores, per similitudinem duarum mulierum ostendit.*

H

Non potes melius explare, quid intersit inter duos istos timores, quam si ponas duas mulieres maritatas: quarum vnam constituas volentē facere adulterium, sed timeat ne damnetur à marito. Timeat maritum, quia adhuc amat nequitia, huic nō grata est, sed one osa mariti præsencia: & si forte viuit nequiter, timeat maritum ne veniat. Tales sunt, qui timeant diē iudicij. Fac alteram amare virum, & debere illi castos amplexus, nulla se adulterina immunditia maculare velle, ista optat præsentiam viri. Illa timeat & ista timeat. Iā ergo interrogentur quare timeant? Illa dicet, Timeo virum ne veniat? Illa dicit, Timeo virum ne discedat. Illa dicet, Timeo virum ne damnet: Illa dicet, Timeo virum ne deserat: Pone hæc in animo, & inuenies timorem quē foras mittit charitas, & alium timorē castum, permanentem in sæculum sæculi: illum timorem perfecta charitas foras mittit, quia ille timor tormentum habet, terquetur conscientia peccatorum: nondum facta est iustificatio. Est ibi quod titillat mētem, quod pungat, quod stimulet. Stimulat ille timor, sed intrat charitas, quæ sanat, quod vulnerat timor. Timor castus facit securitatem in animo. Audiuimus duas tibias, scilicet, Io-

*Aug. eodem continuo tractatu, 9<sup>o</sup> super Ioan Epist. Idem pene citatur ab Aug. in Epist. 120. ad Honorat. de gratia noui testa. c. 21. in fine tom. 2.*

*Ibidem paulo inferius.*



annem & David cōsonantes. Illa de timore Dei dicit, quo timet anima ne damnetur: illa de timore Dei dicit, quo timet anima ne deseratur. Ille est timor quē charitas excludit, ille est timor, qui permanet in sēculū sēculi. Ecce in his verbis prädicitis aperte ostēdit Aug. quis sit timor castus, & quē seruilis, & qualiter differāt. In quibus etiā initialē timorē significauit: qui nec ex toto est seruilis, nec ex toto castus, sed tanquā medius aliquid de seruilis, & aliquid de casto timore habet, facit enim seruire partim timore pœnæ, partim amore iustitiæ, per quē timemus puniri, & timemus offēdere. Ille timor est in inchoata charitate, non in perfecta: & quantū crescit charitas, tantū decrescit iste timor, quantū ad metū pœnæ, i. quantum ad id, quod facit timere pœnā, & quantū ad tormentū cōscientiæ. Nā quanto magis diligimus, tātō minus timemus. Ille timor notatur in illis verbis Aug. ubi nō negat timorē esse in charitate inchoata, sed perfecta: quod non posset dici de seruilis, quia ut ipse supra dixit, seruilis timor nō remanet veniente charitate, nec intrat charitas nisi prius ille timor exeat: nec in illo timore aliquis credit in Deū, ex si credat Deo: nec benefacit, etiamsi bonum est, quod facit. Nō est ergo timor ille in charitate etiam inchoata: quia omnis qui charitatē habet, licet nō perfectam, & in Deum credit, & bona opera facit. Quare seruilis non est timor ille, quem in charitate inchoata fore concessit, & quem crescente charitate decrescere dixit: sed ille est timor initialis, quem non negat esse in charitate, nisi perfecta sit.

*Quod timor seruilis, & initialis dicitur initium sapientiæ, sed differenter.*

*Prou. 1. a.  
& 9. c.  
Eccl. 1. b.*

Sciendum tamen est, quod vterq; timor, sc. seruilis & initialis, in scripturæ diuersis locis dicitur initium sapientiæ: & ita fore cōperies, si diligēter annotaueris loca scripturæ, in quibus de timore  
Domi-